

CAP. 9. *sibi Christum benedicat.* 63

in promptu venia est, quæ & quantacunq; peccata commiseris. *Tanta nimirum est perfectio in Redemptione parata sanguine Christi, & tanta est perfectio applicationis gratiæ & imputationis totius meriti Christi per fidem.* Et verissimum est illud Sapientiæ 12. *Deus dat locum in peccatis pœnitentiæ, cōdonans scilicet gratuito & perfecte inq; solidum pœnitentibus propter Christum.* Imo summa Dei voluptas est exercere misericordiam, & condonare peccata gratis. *Conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor ejus, ait Dominus per Jerem. cap. 31.* Quippe tunc mors Christi in actum deducitur, & ad frugem pervenit, gaudentibus proinde in cœlo angelis Dei, *Luc. 15.* quia sanguis Christi peccatoribus utilis factus sit, pro quibus erat effusus.

### CAPUT IX.

VITA ANTICHRISTIANA HOMINUM hujus temporis Christum & veram fidem abnegari.

2. Tim. 3. *Habent speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegant.*

**Q**uia nemo non Christianum se jactat, ut cunque Christianum *Christus vita impia deridetur.* nihil